

hic tumultuatur Censor, tanquam si ista oratione Majestas Synodorum & Conciliorum omnium læsa ac violata esset, Symbolorum veterum autoritas depreciata, & Pyrrhonia $\epsilon\pi\omega\chi\eta$ in Ecclesiam introducta. Mira hæc profectò est insolentia ac temeritas in Doctore Reformato, qui non ita nuper omnium Conciliorum, omnium Patrum, totiusq; adeò antiquitatis authoritatem eiuravit, ut Scripturæ unius formulæ se obstringeret. Vix potuit proprius redire ad damnatam & eiuratam non ita pridem sententiam, aut peius consulere orbi Reformato. Res meretur ut id clarum faciamus. Certum est ex Præfatione, Remonstrantes non loqui nisi de formulis Confessionū, quæ diversas de Religione sententias, circa dogmata non præcisè creditu necessaria, exprimunt, idq; aliis quām meris Scripturæ verbis. Ratio manifesta id evincit. Necessaria enim non tantum credi à nobis sed credenda esse omnibus, omni tempore, ex æquo, juxta Dei præscriptum, nemo Christianus dubitat. Quare cum Remonstrantes Formulas Confessionum edi volunt, non ut iis declaretur quid omnibus constanter & ex æquo credendum ac fentiendum præcisè sit; fieri non potest ut id intelligent de formulis, quatenus dogmata creditu necessaria continent: Dicerent enim credenda nō esse ea, quæ necessario credenda sunt. Similiter, si formulas istas, quatenus necessaria dogmata exprimunt, negarent ponendas esse veluti terminos ac limites intra quos Religio & salvifica Dei cognitione credatur confistere, dicerent Religionem & salvificam Dei cognitionem extra necessaria dogmata confistere: quo utroq; nihil absurdius cogitari potest. Deinde, cum de formulis Confessionum diversis agunt, non agunt nisi de formulis, quatenus aliis quām meris Scripturæ verbis conceptæ sunt. Mera enim Scripturæ verba non possunt esse dissociationis tesserae, nedum caussæ. Quid ergo? Concludendum certè est, eos de formulis istis loqui, quæ versantur circa dogmata non præcisè creditu necessaria, quæque inter Christianos controversæ, ac proinde aliis, quām Scripturæ puris putis verbis, conceptæ sunt. De hujusmodi ergo formulis quæritur, quomodo optimè, tutissimè atq; utilissimè concipi possint ac debeant? An sic, ut in iis præcisè definiatur quid de singulis controversis dogmati constanter, firmiterq; Orthodoxis omnibus credendum sit: An vero sic, ut in iis declaretur, simplicibus atq; innoxiiis verbis, quid iij, qui eas profuis agnoscunt, de singulis controversis dogmati sentiant ac credant. Remonstrantes hunc posteriorem modum probant, utq; ei in principio locus datus esset aut etiamnū adhuc detur,

Ostenditur
Remonstrantes,
per formulas
Confessionum
in Præfatione
fua non intel-
lexisse nisi
formulas quæ
diversas de
Religione se-
tentias circa
dogmata non
precise cre-
ditu necessa-
ria, exprimut.

De optimæ,
tutissima, uti-
lisimæ, For-
mularum edi-
tione.